Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 327
Quelle:
Copyright:

cis Horyne et V — — nificis conſulum iuratorum. Datum Prage ſabbato ante Penthecoſten Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo nonageſimo Secundo. Elegans manus.

CXXV. VII E. 7.

325 Codex membraneus lat. Sec. XIII. ineuntis. Folior. 259. f. nitide, licet a diverſis manibus, exaratus, rubricisque paſſim notisque marginum diſtinctus exhibet Paraphraſin metricam Librorum S. Scripturae, quam Autor *Petrus de Riga* Can. et Cantor *Rhemenſis*, qui a. 1209. vivis exceſſit, *Auroram* inſcripſit. Agit de ea diligenter *Polyc. Leyſerus in Hiſt. Poet. et Poem. med. aevi* a p. 692. ex Mſs. *Helmeſtad.* et *Guelpherbyt.* quorum, ſi lubuerit, recenſum noſtrum conferet Lector. Ordinem Librorum, quoad fieri poterit, ſequemur, quem *Trithemius* in *Scriptt. Eccl.* n. 388. adſignat. Initium facit Prooemii inſtar Carmen nemini memoratum 10. Diſtichor. ita:

Nil homini melius quam ſi diuina legendo
Figat ibi uitam quo ſibi uita uenit &c.

Finit: *Lectio iugis alit uirtutes. lucida reddit*
Intima. declinat noxia. uana fugat.

Petri ipſius hic foetus, an *Aegidii Pariſienſis* ejus συγχρονε et interpolatoris, ignoro. Mox: *Incipit prologus in libro floridi aſpectus. Sodalium meorum peticio cum quibus conuerſando florem infantie exegi. ut librum pentateucum moyſi. ſtilo metrico depingerem. et inde aliquas allegorias elicerem inſtanter perſuaſit. — Neque enim fas erat offendere. illos cum quibus in ſcolis ab infantia. conuerſatus ſum. cum quibus libros gramatice percurri. ciceronis flores aureos legi et elegi. laborintum ariſtotilis aliquantulum inſpexi. ſed non penitus introiui. — Porro uiſum eſt et mihi huic libro iuxta operis tenorem hoc nomen congruenter imponere.* Aurora. — *quod ſicut angelus teſte hyſtoria quam percurro poſt luctam nocturnam laetus eſt ad iacob.* dimitte me aurora eſt. *ſic et ego poſt luctam et laborem. quem in hoc opere exercui. quodammodo librum meum. eisdem uerbis allocutus ſum dicens.* dimitte me aurora eſt. *Quaſi dicatur. finem huic impono operi. quia figuras et umbras hyſtorie explicui. et ueritatis fulgor patenter illuxit.* Sat ingenioſe! Verum non in ſolo *Pentateucho* ſtitiſſe *Petrum*, Codex docet. Sequitur Carmen hexametrum, quod in margine *Aliud proemium. Inuocatio.* et *Narratio* dicitur, verſuum 56. hoc initio:

Auctoris mendico ſtilum. faleraſque poetæ.
Ne mea ſegnitie clio deiecta ſeneſcat.
Ne jaceat calamus. ſcabra rubigine torpens &c.

Ni-